

rantur, *Italica* cap. 10. et *Augusta* c. 27. quae non bene a nonnullis pro legionibus habentur, et propter analogiam institutorum prouincialium, et quia legio *Italica* a Nerone demum instituta est, in cuius tempora locus ille non cadit, denique legio *Augusta* in iis regionibus nulla fuit. Itaque nec dux maior tribuno occurrit. Sed haec in pace. Cum bellum esset in tali prouincia, aut belli metus, etiam legiones eo ductae sunt. Locus huc pertinens est apud *Iosephum A. I.* XIX, 9, 2. De legionibus Rom. earumque castris in prouinciis, nobilis est locus *Dionis Lib. LV*, p. 564. in quo valde laborarunt viri docti, *Lipsius*, *Breitingerus*, V. C. et alii. v. Cel. *Reimari* notam ad illum locum. De Cohorte *Italica* et *Augusta* extat libellus *Schwarzii Altorsini*. Cetera, quae ex militari ratione tanguntur in N. T. ut de vigiliis etc. vulgo nota sunt.

99. Ad prouincialem administrationem pertinet etiam Census, cum aliis redditibus, vel aerario, vel fisco Caesaris inferendis: quod genus supra iam tetigimus. In maioribus prouinciis ea cura fuit quaestorum et procuratorum Caesaris, illis aerarii, his fisci redditus currantibus. In Iudea res omnis pertinet ad curram Procuratoris. In N. T. census et vectigalia memorantur: de quibus et ipsis dictum. Sed de Censu aliquid hoc loco addendum videtur. Ac de censu eo, qui propter tributa fieret,